

IUDICIUM DE COMETIS. 17

rium demonstret, ac fieri nullo modo posse probet, ut illorum aliquid naturaliter denuncient. Sequitur igitur, ut usu & experientia siue sensu cognitum deprehensumque fatearis. Si ne hoc quidem modo testatum facere poteris, nullo probare modo poteris. Nam duo hæc sola *κρίτηρια* habemus. At multorum, inquires, seculorum obseruatio probauit sic habere. Quæro iterum, utrum experientia certissimè sic deprehenderis Cometas indicauisse illa mala, ut tam non possit negari, quàm negari non potest, Magnetem ferrum ad se pertrahere, aut Rhabarbarum corpus purgare? Si negabis, ad experientiam frustra pro uocabis: si affirmabis, quam multa te oppugnent, uide. Primum maxima est Cometarum discrepantia ratione magnitudinis, figure, motus, loci, in quo oritur, in quo dissoluitur, in quem radios aut crines porrigit, durationis: quæ omnia facultates eorum plurimum videntur mutare. Deinde non omnes Cometas insecuta sunt illa infortunia, sed aliqui salutare fuisse scribuntur. Tertio, non eadem mali species secuta semper fuit, sed aliquando fames, alio tempore pestis, interdum mors Principis alicuius, aliàs aliud malum subsequutum legimus. Quarto non eodem temporis spacio euenerunt. Sæpè Cometæ attribuntur, quæ post multos annos acciderunt. Quinto non eodem loco contigerunt: nec quo loco euentura essent, quisquam certò præuidere potuit. Clarè his probatur, primam conditionem vestræ experientiæ non adesse. De secunda quid est opus dicere? Quæ post Cometas orta sunt mala, & ab eis significata credita sunt, ex signis alijs propioribus & longè certioribus indicata & cognita plerunque fuerunt.

Exempli causa dicam de ultimo. Magno hiatu pronunciant aliqui eum designauisse tumultum illum in Belgio. At ex alijs certissimis, notissimis, ac proprijs indiçijs omnia tum videbantur præsentia, & præcognoscebantur futura. Nullus certè non plura ex his, quàm ex Cometæ denunciatione, vidit facta, & futura adhuc prospicit.

y Parum